



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 1. An libertas sit intrinseca actui?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

odiò habeatur, neque sufficere, quòd iudicium rationis sit extrinsecè indifferens ad amandum, vel non amandum, sed ulterius requiri, quòd omnia alia praequisita per se constituant potentiam proximam amandi, & potentiam proximam non amandi, sint etiam indifferencia, ita ut voluntas instructa illis omnibus praequisitis, hic, & nunc eliciat pro suo libito actum, vel omittat.

470. Fit 4. Nullum praequisitum connexum cum altero libertatis extremo posse esse principium per se constitutum voluntatis ut proximæ liberæ ad amandum, vel non amandum; ratio est, quia, si voluntas haberet praequisitum per se necessarium, quod quidem necessariò conjungendum esset cum actu, non esset

proximè expedita ad utrumque, cum non possit pro libito suo actum non omittere. Fit 5. Debere in eodem instanti, in quo voluntas liberè operatur, dari omnia comprincipia prædicta indifferencia cum exclusionem comprincipij necessitantis; aliter non operaretur voluntas liberè, cum non esset proximè potens ad non operandum, neque libertas in instanti antecedenti sufficiens est, cum voluntas in instanti antecedenti non se liberè exerceat, sed in instanti, in quo liberè operatur. Fit 6. Necessitatem non evententem libertatem esse solum necessitatem consequentem exercitium liberum voluntatis, ut enim agebat Anselmus, *Necessitas præcedens est, quæ causat rem, necessitas consequens est, quam res facit.*

DISPUTATIO XII. DE LIBERTATE IN ACTU SECUNDO.

471. **D**uas præsertim, & præcipuas difficultates satis inter Theologos agitas resolvemus circa libertatem in actu secundo. Prima est, an actus liber sit intrinsecè, vel extrinsecè liber? Secunda, an possit dari libertas in actu secundo absque ullo libertatis actu per solam puram omissionem? Primam quidem ex his difficultatibus resolvemus in hac disputatione, alteram in sequenti. Duæ sunt circa primam præcipuæ sententiæ. Prima docet, actum liberum esse extrinsecè liberum, ita, ut tota libertas desumatur ex eo, quòd procedat à voluntate potente hic, & nunc non ponere actum, quin actus talem exigat libertatem. Ita Vasquez, Molina, Arriaga, plurésque alij, quos citat, & sequitur Buccadinus in disputatione 18. de actibus humanis, cap. 1. Secunda sententia affirmat, esse intrinsecè liberos; ita Hurtado, Sfortia, Aldrequius, plurésque alij, quos sequitur Esparza lib. 3. de actib. humanis disp. 14. Pro resolutione sit

SECTIO I.

An libertas sit intrinseca actui?

472. **A**spero cum secunda sententia: actus liber ex intrinsecis suis dependet à dominio libertatis ad utrumque; sed actus ex intrinsecis suis dependens à dominio libertatis ad utrumque est intrinsecè liber; ergo &c. Consequentia tenet; maj. prob. quia dominium libertatis ex suis intrinsecis est pro priori naturæ ad actum liberum, & actus liber est pro posteriori naturæ; sed quòd ex suis intrinsecis est posterior natura, ex intrinsecis suis pendet ab eo, quòd est naturæ prius; ergo &c. min. prob. talis actus non pendet à dominio libertatis per alium actum, sic enim procederemus in infini-

tum, nec dependentia est pure extrinseca denominationi, sed habita ex ipsa essentia actus. Alter enim, si Deus præberet voluntati comprincipia ad utrumque, quia in eodem instanti elicitus fuit aliquis actus, eo ipso ille actus, qui extrinsecè denominaretur à potentia indifferi, diceretur liber, quòd planè est absurdum, ergo &c. Vide n. 475.

Prob. 2. Principium liberum, ut liberum, ut importans diversam perfectionem, quam principium necessarium, videlicet indifferenciam dominiij elicitivi extrinsecorum opprobiorum, tribuit suis actibus specialem perfectionem, quam non tribuit principium necessarium; sed nequit in actibus illis assignari alia specialis perfectio, nisi quòd sint intrinsecè liberi, sive ex suis intrinsecis pendentes à dominio libertatis ad utrumque; ergo &c. Confirmatur. Principium ut volitivum, & vitale, & ut præditum virtutibus supernaturalibus tribuit suo effectui rationem intrinsecam volitionis, vitalitatis, & supernaturalitatis; ergo, ut liberum tribuat actui suo perfectionem intrinsecam libertatis. Prob. seq. non minus requiritur principium liberum ad actum liberum, quam requiritur principium volitivum ad volitionem, vitale ad effectum vitale, supernaturale ad effectum supernaturalem; ergo, si istæ sunt perfectiones intrinsecè correspondentes effectibus, seu actibus, etiam libertas erit perfectio intrinseca correspondens ipsis actibus.

Prob. 3. Actus creatus vitalis ex intrinseca natura sua est egressio à principio activo, ut activo; ergo actus creatus liber ex intrinseca natura sua erit egressio à principio libero, ut libero; sed actus, qui ex intrinseca natura sua est egressio à principio libero, ut libero, est intrinsecè liber; ergo. Confirmatur 1. Omnis actus liber est volitio sui saltem virtualis; ergo est perfectio sui, ac proinde intrinsecè liber.

ber. Confirmatur 2. Actus liberi hominum intrinsecè differunt ab actibus spontaneis eorundem, non solum physicè, sed etiam moraliter; ergo ex intrinsecis suis sunt liberi. Confirmatur 3. Forma denominans in actu secundo actum liberum nequit esse ipsa potentia voluntatis ad illum elicendum; aut omittendum, sed debet esse aliquid se habens ex parte ipsius actus contradistinctum à potentia; sic denominatio actualis albi non potest desumi à potentia dealbandi; sed debet desumi ab aliquid se habente ex parte actus, scilicet ab albedine actuali; sed ex eo, quod forma denominans actum liberum non sit ipsa potentia, debet esse aliquid intrinsecum actui; ergo &c.

475. Prob. 4. Certum est experientià, nos cognoscere, aliquando nos amare liberè, aliquando necessariò, aliquando peccare, aliquando non peccare pro nostra libertate; ergo volitio libera habet ex parte sui modum quemdam tenendi proprium libertatis; sed in eo itat, quod actus liber sit intrinsecè liber; ergo &c. Confirmatur 1. Si posset dari actus extrinsecè liber, esset liber, quin ex suis intrinsecis exigeret potestatem voluntatis ad utrumque expeditam; sed hoc implicat; ergo &c. Prob. min. Si actus ille non exigeret potestatem ad utrumque expeditam, potestas ad utrumque non esset prior illo actu, neque actus esset naturà posterior; ergo perinde se haberet ea potestas respectivè ad actum, ac si non existeret; atqui, si non existeret ea potestas, actus ille non esset adhuc extrinsecè liber; ergo non esset extrinsecè liber etiam posita ea potestate; ergo &c. Confirmatur 2. Quando voluntas est indifferens ad actum, debet dari actus, per quem ad actum determinetur; ergo quando est indifferens ad actum liberum, debet dari actus liber, per quem ipsa determinetur.

476. Prob. 5. Per actum liberum, quo voluntas se determinat ad amorem, exercet potestatem, & inclinationem ad amorem, atque impedit potestatem, & inclinationem proximè expeditam ad amoris amissionem; atqui per actum amoris necessarium non impedit potestatem expeditam ad amoris omissionem; ergo actus amoris liberi essentialiter distinguitur ab amore necessario. Confirmatur 1. Actus, qui exercetur in presentia contrarij resistentis, atque contraria ipsius resistentia differt essentialiter ab illo, qui exercetur sine contrario; ideoque major requiritur vis ad producendum calorem in presentia, quam in absentia frigoris resistentis; atqui actus liber se ipso est victoria contrarij resistentis; ergo se ipso differt ab actu necessario, proindeque evadet intrinsecè liber. Confirmatur 2. Ut experientià constat, majorem conatum impendimus ad superandum contrarium fortissimum, quam ad debilissimum, vel nullum; ergo actus liber, quo inclinationi ad oppositum resistimus, essentialiter diversus est ab actu necessario, quo non resistimus inclinationi ad oppositum.

R. P. Germaz Theolog. Tom. 1.

477. Prob. 6. Omnis actus liberè, atque indifferenter elicited ex suo conceptu est essentialiter comparativus extremorum libertatis, inter quæ versatur utpotè intrinsecè profectivus unius, & rejectivus alterius, perfectivus, & actuativus inclinationis præviæ ad unum, & impeditivus, ac suppositivus inclinationis præviæ ad alterum; proindeque contentiosus, & pugnax, adherens uni motivo cum inhaerentia alterius, quod habet ad oppositum, sed hoc homo nequireret, si actus ex suis intrinsecis liber non esset; ergo &c. Confirmatur 1. Sicuti fieri non potest, quod voluntas instructa cognitione representante plura motiva invicem impossibilia, non succumbat alicui ex illis, eidemque adhæreat per aliquam denominationem in actu secundo suæ indifferentiæ: ita fieri non potest, ut non rejiciat motiva, seu motivum oppositum, atque fugiat ab eodem; sed actus liber nequit esse talis, quin ex se uni extremo libertatis ex suis intrinsecis resistat, atque alteri succumbat reducendò indifferentiã voluntatis in actu primo ad determinationem in actu secundo; ergo &c. Confirmatur 2. Actus liber ex suis intrinsecis est actualis determinatio voluntatis non utrumque potentis agere, sed ita potentis agere, ut potuerit etiam pro libito suo ex suo jure non agere; sed inexplicabilis est ejusmodi conceptus actus liberi, quin sit intrinsecè liber; ergo &c.

478. Probatur 7. Actus opinativus differt intrinsecè à cognitione evidenti, ut Adversarij farentur; ergo actus voluntatis liberè elicited differt etiam intrinsecè ab actu necessario. Prob. consequentia ad hominem; sicut actus opinativus oritur ab intellectu, quatenus distracto per motiva invicem opposita cum vi utriuslibet eorum sufficienti ad trahendum illum in suas partes, si aliquid ex illis præponderet alteri, quoad veritatis apparentiam, quin essentialiter excludat falsitatem. Cognitio verò evidens oritur ab eodem, quatenus præalligato vi unius motivi, clarè apparentis, & expellentis omne dubium, aut falsitatis periculum; ita etiam actus liber, & electivus oritur à voluntate, quatenus distracta, atque in partes oppositas vocata per plura motiva proportionaliter sibi invicem præponderantia quoad aliquid, quin inclinatio ex parte unius excludat amplexionem alterius, aut econtrà. Actus verò necessarius oritur ab eodem præalligato motivo undequaque præponderanti hic, & nunc omnibus oppositis, proindeque excludente aliorum amplexionem; ergo, licet ex ea ratione in intellectu actus opinativus differat intrinsecè ab actu evidenti, ita ex eadem proportionaliter ratione actus voluntatis liber differt intrinsecè à necessario, proindeque actus liber, evadet intrinsecè liber. Ex dictis

479. Fit 1. Voluntatem utpotè essentialiter imitativam intellectus, quoad suos actus, & modos operandi non esse comparandam cum potentis

tentijs externis, sed cum perfectione potentiae rationalis internae. Sicut enim actus intellectus differt ab actu externo v.g. à motu pedis, quia motus pedis indifferens est, ut fiat violenter, coactè, invitè, & spontaneè, atque ita quandoque determinatur ab isto effectu, quandoque ab opposito; actus verò intellectus ita determinatur à suo objecto, ut si semel sit representatio B, & non A, nunquam possit esse representatio A, & non B; ita actus voluntatis, qui semel est amor Dei, & non creaturae, nunquam potest esse amor creaturae, & non Dei, proindeque, qui semel est dilectio victrix motivi oppositi ad contrarium allicientis, nunquam potest esse dilectio non victrix motivi ad oppositum allicientis. Quapropter, si semel est liber, nunquam potest esse non liber. Vide n. 481.

480. Fit 2. Actum liberum, qui de facto semel libere elicitur, sive cum libertate contrarietatis, sive cum libertate contradictionis, sive quoad substantiam motivi, sive quoad circumstantias objectivas, nunquam posse libertatem illam omittere. Ratio est, quia eo modo, quo semel procedit liber, tendit ex intrinsicis cum intrinseca habitudine ad oppositum, ac proinde, si motivum trahat, tendit cum victoria motivi, si circumstantiae insuper trahant, tendit cum victoria circumstantiarum, quod ex suis intrinsicis, revera habet; atqui actus voluntatis nequit amittere id, quod habet ex suis intrinsicis; ergo, si semel est liber libertate contrarietatis, nunquam amittere potest eam libertatem, quod idem erit, si semel erit liber libertate contradictionis, vel quoad substantiam motivi, vel quoad circumstantias motivi, modo, quo in subsequens latius explicabimus. Quapropter

481. Fit 3. Actum liberum diversimodè pendere à principijs libertatis, quam pender actio, qua actus elicitur: supponimus enim, cum communi Theologorum, actum esse formam vitalem potentem esse sine hac determinata actione non minùs, quam aliae formae nobis cognitae possint esse sine hac actione determinata, ex quo apparet inter actum liberum, ejusque actionem magnum discrimen. Ratio est, quia haec actio determinata, cum sit modus sui principij affirmativi, essentialiter pender à principijs, à quibus physice procedit. Actus verò, cum sit forma, non quidem modalis, sed entitativa, non pender essentialiter à principijs determinatis, à quibus modo fit, sic ignis C, qui modò producitur ab igne B, potuit produci, potestque reproduci ab igne B, aut simul ab igne A, & B, licet actio, quae procedit ab igne A, non possit ab illo non pendere, cum sit modus ipsius; quapropter, si tollerentur haec determinata principia actus liberi, & substituerentur alia aequè attrahentia ad unum libertatis extremum, & aequè ab altero retrahentia, posset quam optimè actus liber

ab illis procedere non minùs, quam modò ab illis procedat.

Fit 4. Actum liberum ita pendere à principio sui ordinis, ut ea naturaliter exigat modò, quo ad libertatem requiruntur. Quamobrem, cum ad ad potentiam liberam requirantur haec omnia, nimirum voluntas, decretum indifferens per se applicativum omnipotentiae, cognitio tam alliciens, quam retrahens, & id genus alia, ea omnia per se exigat actus liber. Rursus, cum actus naturalis non exigat principia ordinis supernaturalis, sed naturalis ad actum naturalem, nequaquam necessaria sunt principia ordinis supernaturalis, proindeque, si locò principiorum naturalium substituerentur principia supernaturalia, ea quidem non essent actui debita, sed essent compensativa principiorum, quae actui debentur, quapropter, cum actus peccaminosus sit naturalis, idem prorsus manet, si daretur cognitio naturalis aequè retrahens, ac supernaturalis, quae de facto retrahit, sicuti de praemissis naturalibus, & supernaturalibus respectu Conclusionis Theologicae diximus n. 1. de Deo. Etenim per cognitiones aliquas naturales potest voluntas constitui libera ad quemcunque actum peccaminosum tali libertate morali, ut maneat ei peccatum moraliter impossibile ex dictis à n. 89. de Beatitudine. Unde, si eo in casu tolleretur cognitio naturalis, & substitueretur supernaturalis, daretur quidem nobilior compensativum ex dictis n. 63. de Beatitudine, cum quo voluntas posset elicere actum supernaturalem suae lineae. Amor enim supernaturalis non minùs praexigit supernaturalem cognitionem, quam amor beatificus praexigit cognitionem beatificam; etsi stante ea supernaturali cognitione voluntas peccaret, eliceret eundem actum, quem potuisset elicere stante cognitione naturali, quae aequè à peccato retrahent, ac illa cognitio supernaturalis, quae, ut libertatem non evertat, solum potest necessitate moraliter ad actum bonum. Exinde

Fit 5. Extrema libertatis ad diversas lineas pertinentia v.g. quando alterum est naturale, sive peccaminosum, alterum supernaturale, sive meritorium principij superni diversimodè unumquodque horum libertatem exigere. Ratio est, quia extremum supernaturale exigat ex parte actus primi proximi supernaturale principium, sive hoc, sive alterum ejusdem rationis; extremum verò naturale non exigat ex parte actus primi proximi principium supernaturale, sed naturale, hoc, vel illud ejusdem rationis, à quo habere possit virtutem, qua allicientia in oppositum resistat. Quapropter, si locò principij naturalis substitueretur principium supernaturale, non id erit juxta actus naturalis exigentiam, sed ad constituentem voluntatem liberam ad actum supernaturalem; adeoque illud principium supernaturale ad summum erit compensativum principij naturalis in ordine ad elicendum actum naturalem.

naturalem, sive peccaminosum; ex dictis n. superiori. Etenim principium supernaturale, cum per se retrahat à peccato, non potest esse principium per se actus peccaminosi effectivum; ac potest esse illuminativum retrahens, atque à peccato avertens ex proportionem malitiae, ut ex ipsis terminis sit evidens; neque ullum inconveniens est ratione libertatis, cum actus naturalis peccaminosus revera expellat extremum oppositum meritorium, sive naturale, sive supernaturale, cum sit impossibile cum illo. Exinde

484. Fit 6. Actum liberum intrinsecè continere duplicem formalitatem, alteram quidem electionis, sine qua esse nequit, & ratione cuius habet quoad denominationem resistere extremo opposito, atque principiis ad illum allicientibus; alteram verò resistantiam, sive naturalem, quae potest habere non solum eam virtutem, qua actu resistit contrariis allicientibus, sed qua resisteret etiam aliis habentibus majorem virtutem, quae ad oppositum allicerent, sicut enim actus voluntatis habet ex essentia sua, quod vitalis sit, quod volitivus, quod naturalis, aut supernaturalis sit; ita actus, qui est electio, habet essentialiter eligere, ac proinde opposito in contrarium allicientem resistere. Cæterum, sicut actus vitalis, qui modò procedit à principio perfecto ut unum, possit procedere à principio perfecto ut octo, ita electio, quae modò resistit virtuti contrariae ut unum, talis esse posset, quae resistat, etsi adesset contrarium perfectum ut octo, ad eum quippe modum, quo, quando aliquis producit impulsus ut octo contra contrarium resistens ut unum, vincere quoque posset contrarium, licet daretur cum resistantia ut sex. Hæc autem est ratio, quare actus liber, quamvis sit intrinsecè liber quoad ea, quae essentialiter exigunt electionem, atque quoad ea omnia, quae requiruntur ad actualem resistantiam, sine qua electio dari non potest, non tamen est intrinsecè exigens actualitatem omnium comprincipiorum contrariorum, quibus resisteret, si darentur. Unde quoad majorem eam vim habet virtutem resistendi quoad sufficientiam, licet eam quandoque non habeat quoad efficaciam; proindeque actus intrinsecè liber quoad eam majorem vim, & actualem resistantiam validiori contrario vocari solet extrinsecè liber, de quo in præsentem non curamus, cum sit quaestio de puro nomine, & explicatis terminis nota sit, atque in ea suppositione saepe loquimur, & innuimus jam in Tractatu de Deo n. 901.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

485. Objicitur 1. Potentia libera adæquatè sumpta includit in se duas potentias, alteram eliciendi actum, alteram omittendi, sive elici-

endi oppositum; sed nulli actui est intrinsecum adæquatè, ut pendeat à potentia eliciendi oppositum; ergo nulli actui est intrinsecè adæquatè pendere à potentia libera, proindeque nullus actus liber evadit intrinsecè liber. Respondeo conc. maj. & dist. min. ut pendeat tanquam à potentia effectiva, concedo, tanquam à potentia, quam ex suis intrinsecis vincit, neg. min. & conseq. Ratio est, quia actus liber non solum habet ex suis intrinsecis, quod physicè producat à suis principiis effectivis; sed etiam, quod sit victoria comprincipiorum allicientium ad oppositum. Unde, quamvis ratione primæ formalitatis non pendeat, aut prærequirat comprincipia ad oppositum, ratione tamen secundæ formalitatis pendet, ac requirit comprincipia ad oppositum; sic motus bilancis, quatenus in tali determinato gradu est tardus, aut velox, dependet à ponderibus inæqualibus utrique oppositis, & sibi invicem renitentibus, ita etiam actus dilectionis erga Deum, & odii adversus peccatum dependet simul à bonitate unius, & à malitia alterius.

486. Objic. 2. Eo ipso, quod intelligatur, actionem oriri à voluntate, quæ hic, & nunc potest illam producere, & non producere, intelligitur formaliter esse liberam; sed totum id intelligi potest, quin intelligatur dependentia intrinseca actus à potentia omittendi; ergo &c. Probat. min. Dependens intrinseca actus à sua potentia, solum est dependentia, ut actus à potentia producat; sed potest intelligi, quod illa virtus productiva actus sit potens hic, & nunc actum producere, & non producere, quin hoc habeat ex intrinseca exigentia actus; ergo &c. Resp. dist. maj. oriri à voluntate eligendò, seu vincendò inclinationem ad oppositum, conc. non eligendò, aut vincendò. neg. maj. & dist. min. nego conseq. Ad probat. dist. min. dependentia actus præcisè, quæ producti, conc. actus, quæ liberè producti, sive actus, quæ liberi, neg. maj. min. & conseq. Ratio est, quia actus liber non solum includit in suis intrinsecis formalitatem effectus, sed etiam formalitatem eligentis, seu vincentis inclinationem ad oppositum ex fine, & motivo, quo vincit; cum autem hæc secunda formalitas stare nequeat, quin voluntas sit instructa principiis ad utrumque, exin actus ille elici non potest, quin voluntas sit instructa principiis ad utrumque; & sanè mirum est, quod Adversarij ita argumententur, quandoquidem voluntas non possit se liberè exercere, nisi rationabiliter, nimirum ex fine, & motivo, ratione cuius oppositæ inclinationi resistat per libitum, & electionem suam, cum autem hæc resistantia, libitum, & electio sit ipse actus, exinde habet intrinsecum actus oppositæ inclinationi resistere, adeoque habet ad inclinationem illam subsequi.

Objic. 3. Voluntati elicienti amorem, quo amet